DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

DE

PHRENITIDE PANNONIÆ IDIOPATHICA,

Quam

AUSPICE DEO PROPITIO,

Et Consensu atque Auctoritate Gratiosæ Facultatis Medicæ,

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

PRÆSIDE

DN. D. MICHAELE ALBERTI,

SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB. CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO, ETC.

DECANO H. T. SPECTATISSIMO,

Domino Patrono, Præceptore ac Promotore suo, omni honoris cultu prosequendo,

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

HORIS LOCOQVE CONSVETIS,

ANNO MDCCXXXIX. D. NOVEMB.

PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICIET

AUCTOR RESPONDENS

JOH. CHRISTOPHORUS PECK,

TYRNAVIA HUNGARUS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

TYPIS JO. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.



§. I.



Annoniam multas, vberrimis ſuis, quibus a natura ditata eſt, bonis, allicere gentes, praeter multitudinem ex diſſitis oris, eo petentium hominum, ſaeuientis in hanc, teſtatur martis furor, armorum ſtrepitus, quem tellus toties experiri debuit Pannonica, cruentae comprobant clades, quibus hoc nobile ſaepius inquinatum eſt ſolum: tot tantaque confirmant molimina, quibns immanis ille Chriſtiani nominis hoſtis, ad ſuas hoc regnum, pertrahere caſſes, annititur Turca. Sed vtut, ampliſſima haec, quibus regnum Hungariae adfluit, bona, magnam exteris eo migrandi accendunt cupiditatem, Regni tamen huius, cum ſporadici, tum endemii morbi, qui multas ſaepe deuaſtando vrbes, magnam hominum edunt ſtragem, adeo periculoſam hanc exteris imprimis Germanis reddunt terram, vt hi, cum multos ſuorum ibidem ſepultos audirent, Hungariam, Germanorum, haud erubeſcerent adpellare coemeterium. Quod abſolute, licet minime verum, multique Germanorum, largius Suaue terrae hauriendo merum, aliisue regni abutendo bonis, praematuram, ſibi ipſi

conciliauerint mortem, multi etiam, temperantiae ſtudentes, longum vitae attigerint terminum; cum tamen, perpetuis fere aër, qui hoc regnum perflat, obnoxius ſit mutationibus, multorumque vitae ratio, funeſta tempeſtatum vitare recuſet ludibria, quotus quisque perſpicere poteſt, multos Pannoniae proprios morbos, ex aëre, ſuos mutuare natales. His cum Phrenitidem, tali ex cauſa ortam, iure adnumerare liceat, haud operam me luſurum exiſtimo, ſi iam pro viribus, in hoc enodando deſudauero morbo; quas laborum primitias, vt ipſum Clementiſſimum adiuuet Numen, Lectoresue ſuo proſequantur fauore, eſt, quod votis, precibusque contendo deuotiſſimis.

§. II. Morbum, quem inpraeſentiarum explanare operae pretium duxi, ideo ἀπό τȣ̃ φρὲν ſuam, priſcis iam temporibus, nactum fuiſſe credimus, denominationem, quod ſemper, ceu indiuulſum comitem, iunctam ſibi habeat mentis abalienationem. Vnde ipſe iam terſiſſimus ille latinorum Medicorum ſcriptor, Celſus, non alio, quam inſaniae nomine eam inſignire ſueuit vid. CORN. CELS. *Med. L. III. C. XVIII.* Sed cum inſtituti ratio his diutius immorari prohibeat, ad ipſam iam rem propius accedens, in quo hic noſter conſiſtat adfectus, paucis iam exponam; intelligo vero per phrenitidem, febrim inflammatoriam, ex intercepto, ſanguinis, per minimas membranarum & corticalis cerebri ſubſtantiae arteriolas, tranſitu, ortam perpetuoque ſtipatam delirio.

§. III. Febrim, eamque inflammatoriam eſſe Phrenitidem, nemo, qui rationali lance ſupra commemoranda, ponderauerit ſymptomata, facile ibit inficias. Quare cum in rebus perſpicuis, vbi rerum adſunt teſtimonia, haud prolixioribus opus ſit demonſtrationibus, in eo potius

præ-

præſens expromendus eſſet labor, quo euincam, eandem hanc noſtram febrim, ab intercepto ſanguinis circuitu, in commemoratarum partium arteriolis obuio, ſuam deriuare originem: aſt, quum haec ad aetiologicam morbi huius, ſpectent tractationem, ne eundem laborem bis agens, actum agere videar, eo rem omnem hanc reiicio, ipſius nunc diverſas morbi recenſens ſpecies: Altera enim idiopathica, quae a cerebro, eiusque tegmine, primario adfecto; ſymptomatica altera, quae a malo aliunde in cerebrum, eiusque partes delato, orta, adpellatur phrenitis.

§. IV. Poſterior, quae in oris germaniae frequentior, ſymptomatica phrenitis, malo omine, nec leui cum vitae diſcrimine, aliis acutis, in quibus, partim in regimine, partim in Medicamentorum vſurpatione delinquitur, accedit febribus: ita ſaepius hanc petechiis, variolis, febri catarrhali malignae, bilioſae, praecipue vero Caſtrenſi, circa diem morbi 4. aut 7, qui in ſchola Medicorum critici audiunt dies, praeuiis, nouo corporis rigore, pectoris tenſione, adſociari, res perpetuae eſt obſeruationis: vid. *Ill.* HOFFMANN. *Med. rat. ſyſt. T. IV. P. 1. p. 411.* SCHENCK. *obſ. L. I. p. 64.* Funeſta vero teſtante HIPPOCR. *L. aph. IV. aph. 50.* talia exiſtere deliria, vel inde colligere licet, quod in ipſo primum, acutarum ſtatu ſuperuenire ſoleant. Deiectis enim iam tum, per atrocia prioris febris ſymptomata, viribus, labefactatoque per continuam agrypniam cerebri tono, tales in tenerrimis eiusdem vaſculis ſubnaſcuntur ſtaſes, quae omnem, & efficaciſſimorum remediorum eludunt ἐνεργείαν atque virtutem.

§. V. Errores autem, qui exitioſum hoc, accelerant malum, vti iam dictum, partim regimen, partim commemoratarum febrium reſpiciunt curam, in regimine pecca-

tur, ſi id nimis ſit calidum, exagitato namque ac turgefacto, per intenſiorem calorem ſanguine, vti omnia, ita imprimis, tenerrima cerebri vaſa, vna cum ſuis lateralibus emiſſariis expandi, tonoque orbata, accumulato ſanguini reſiſtere, eundemque reſtitantem, vlterius propellere minime valent. Huc pertinet etiam liberior aëris frigidioris admiſſio, refrigeratis enim, imprimis pedibus, ſpasmum oriri, hocque ſanguinem ad interiora, & ſuperiora impetuoſe compelli, eundemque ibidem coaceruatum, ſtaſes producere, nemo, niſi in arte ſalutari hoſpes eſſe velit, facile negabit. Nec minorem imprimis in plethoricis, generando mali fomiti, cum vini, tum frigidae, immoderata occaſionem praebet, ingurgitatio. Liberior namque frigidae hauſtus, ſalutares naturae motus, quibus aliena & noxia a laudabilibus humoribus per colatoria ſequeſtrantur, & per congrua corporis emunctoria eliminantur, non modo intercipit, ſed etiam humores coagulando, momentaneas inducit ſtaſes. Largior vero vini potus, cum humorum expanſionem atque orgasmum augeat, ex infra iam commemoratis liquet, qua ratione irreſolubiles producat ſtaſes.

§. VI. Inter remedia, quae ſalutaria in acutis, turbando naturae molimina, funeſtum hoc aegris affricant malum, principem obtinet locum, intempeſtiua, vel incongruo loco inſtituta, nec non, nimis parca, aut plane in plethoricis, talibus febribus detentis, neglecta VS. Si enim haec, in parte ſuperiori, aut circa dies criticos, quibus natura haemorrhagiam imprimis narium molitur, adminiſtretur, huius loco phreniticum expectabis delirium, id quod aliquoties B. STAHLIUS & D. PRÆSES in Scriptis ſuis, praec. in *Therapia Medica* ex attenta experientia teſtati

ſunt.

ſunt. Si in plethoricis, parcus, aut plane nullus, e tuſa vena euocatus fuerit ſanguis, validiores, impetuoſasque ad caput tendentes, cum ſubſequenti phrenitico delirio, experiuntur die critico, aegri congeſtiones.

§. VII. Alterum abhac locum, tribuimus iis potisſimum, e pharmaceutico penu depromtis, medicaminibus, quae inteſtinum ſanguinis motum augendo, impetumque eiusdem ad partes ſuperiores inuitando, incompeſcibilis, ad caput vergentis congeſtionis, exiſtunt cauſae. Illis, quibus vis ſanguinem exagitandi, tribuitur virtus, iure, omnia potentiora, ſic dicta Alexipharmaca, ac Bezoardica accenſeri merentur. Ex iis vero, quae partes membranaceo nerueas vellicando, humorum adfluxum ad ſuperiora alliciunt, eminent Emplaſtra, ſic dicta veſicatoria, imprudenter ceruici aegri acuta laborantis, admota: ita mihi ipſi, cum in B. D. NEUHOLDI, Fautoris quondam colendiſſimi degerem aedibus, quidam innotuit Medicaſter, qui videns, optatos, virum illum ex circumſpecto horum Emplaſtrorum vſu, ſaepius experiri effectus, ſimiae ad inſtar, ſuo aegro catarrhali maligna correpto, Emplaſtrum die morbi ſecundo, ceruici admouet veſicatorium, ſed infelici ſidere, quippe ſequenti poſt die tertio, horrida prodeunt deliria, quae absque vlla remiſſione, tamdiu moeſtam adornabant ſcenam, donec die quarto, praeuiis conuulſionibus, tendinum ſubſultibus, ſudore gelido, ipſa tandem mors ſubſequens, truculentis, quibus miſer torquebatur ſymptomatibus, perpetuum imponeret ſilentium. Sed haec de ſymptomatica, tanquam a foro noſtro aliena, dixiſſe ſufficiat, placet iam ad idiopathicam, ad inſtitutum meum magis pertinentem, tranſire phrenitidem.

§. VIII. Idiopathica phrenitis, ſi illam excipias,

quae a vi ab extus capiti illata, ſuam ducit originem, rarior, ob temperatiorem aëris qualitatem, in regionibus Germaniae deprehenditur, eo frequentius autem in Graecia, teſte Tralliano, nec non in Polonia atque Hungaria, ſuam exercere obſeruatur tyranidem. Subiecta vero, quibus imprimis familiaris hic exiſtere ſolet morbus; ſunt homines ad iram propenſi, iuniores, & teſte grauisſimo auctore HIPPOCRATE, aetatis conſiſtentis, *conf. Hippocr. aph. L. III. aph. 30.* quibus porro, natura temperamentum largita eſt cholerico-ſanguineum, aut melancholico-cholericum, qui copioſum aut ſpiſſiorem in vaſis exilioribus, alunt ſanguinem, frequentioribusque congeſtionibus, aut plane ſanguinis, obnoxii ſunt profuſionibus, qui denique diuturnae locum dando moeſtitiae, mentem fatigant, aut multis pervigiliis, lucubrationibus, frequentioribus inebriationibus indulgendo, irreparabilem cerebro, parti quippe tenerrimae, ac ſimul nobiliſſimae, inferunt labem.

§. IX. Recenſitis hactenus ſubiectis, quae diro huic malo, prae ceteris, obnoxia eſſe ſolent, ad ipſam iam aetiologicam phrenitidis idiopathicae progredior explanationem, quo celerior mihi concedatur aditus, ad illius, quae Pannoniae incolas inuadit, phrenitidis explicandam indolem. Cauſas mali expoſiturus, illius primum, quae proxima apud Medicos audit, ſtudebo euolutioni, ad eas tandem, quae remote ad inferrendum concurrunt malum, progreſſurus: illam in ipſo animae domicilio, cerebro, huiusque imprimis cortice, eique adhaereſcente vtroque tegmine, deliteſcere, in harum partium inflammatione conſiſtere, praeter turbatas animæ actiones, frequentius celebratae cadauerum, tali febri extinctorum, plus vice

ſimpli-

ſimplici comprobant ſectiones: conf. BONETI *Sepulchretum Anatomicum Lib. I. Sect. VII. A. E. L. An. 1720. Aug. p. 371. A. N. C. Dec. 2. An. 5. obſ. 62.* HORSTIUS *Lib. 2. obſ. 12. f. 105.* HEURNIUS *de Morb. Pect. p. 3.*

§. X. Si porro arterias, quae, depoſita, extra caluariam robuſtiori tunica, cranium ingreſſae in partibus malum ſinu fouentibus, innumeros diſtribuunt ramos, earumque multiplices, per cerebri anfractus diſſeminatos, conſideremus plexus, ſi denique vtriusque membranacei tegminis, cerebrique corticis intueamur indolem, artificioſamque contemplemur compagem, præ omnibus reliquis, has corporis partes, concipiendae inflammationi aptas eſſe, deprehendimus. Neminem enim fugiet, commemoratum cerebri corticem, qui cinereum referre ſolet colorem, partim e tenerrimis ſanguiferis, lymphaticis partim, affabre conflatum eſſe vaſculis, ideoque ob teneram, mollemque ſuam ſubſtantiam, exigua reſiſtendi, rapido curſu aduolitanti ſanguini, pollere virtute. Nec aliter comparatum eſſe, quotus quisque videt, cum ea cerebri meninge, quae immediatum cerebro, omnibusque eius ſulcis ac cauitatibus impertit inuolucrum; quippe quae, adeo teneris contexta fibrillis, copioſiſſimisque ſanguiferis interſtincta deprehenditur vaſis, vt, alteram eius laminam, telae araneae adſimilare, hincque arachnoideam adpellare ſueuerint Anatomici: vid. VINSLOV *Tom. IV. p. 106.* Dura tandem mater, ex robuſtis ac tendinoſis licet conſtructa ſit fibris, duplicique gaudeat lamina, adeo tamen, cum firmiter oſſeae, praecipue circa eiusdem ſuturas, referente VILISIO *tr. cerebr. Anatom. p. 3.* adhaereſcat thecae, vt facile ab ea diuelli nequeat, minus ſufficientem oſcillatorium eius, quem BAGLIVUS, aliique ei tribu-

unt motum, ad remorandum ad caput impetuosius fluentem sanguinem, ad eiusque interceptum, per vasa capitis promouendum circuitum existere, polyposa illa, in sinubus durae matris, apoplexia, aut lethargo exanimatorum, reperta concrementa, manifestissimo sunt testimonio.

§. XI. Exposito mali fomite, quem partes, modo descriptas, continere demonstraui, ad remotas, iam me conuerto explanandas causas, has inquirentibus multae licet se offerant, earum tamen, quae classem τῶν προηγουμένων constituunt, cum §. iam VIII. mentionem iniecerim, praecipuas tantum, hoc loco, quae nomine Graeco, τῶν προκαταρκτικῶν veniunt, placet attingere causas. His merito accensentur, non modo variarum haemorrhagiarum sufflaminationes, sed omnis etiam vis, capiti ab extus illata, quippe hac non modo vehemens cerebri producitur concussio, verum momentaneae etiam & funestae cum subsequenti delirio, inducuntur stases. Alterum obtinere locum, profundius latitantem, aut plane imprudenter abscissam, plicam polonicam, creberrima in Polonia obuia, testantur exempla. Vltimo tandem, colloco loco, vehementem per diurnum intensiorem calorem corporis exaestuationem, huicque accedentem nocturnam eiusdem refrigerationem. Et haec est praecipua illa causa, quae vti ceteros, Hungariae proprios morbos, ita etiam, ominosum, hoc phreniticum incolis inferre solet delirium; de quo sigillatim iam acturo, per placet prius, quomodo remotior haec, proximam producat causam, expendere rationem.

§. XII. Id dum annittor, effectus, qui cum ab aestu, tum frigore, in corpore humano producuntur, vt exponam, necesse est. Vrgente aestu, aërem, per ingesta

gesta ad humores delatum, ob sufflaminatum, huius, & externi per aestum rarefacti, aëris aequilibrium, vna cum humoribus expandi, horum, illiusve motum intestinum augeri, hocque aucto, non modo progressiuum citatiorem reddi humorum circuitum; verum etiam, solida resolui, atque intumescere, præter multa, tam artis, quam naturae phoenomena, ranae, campanae, cui aër, ope antliae pnevmaticae subductus est, subditae, iucundo comprobant spectaculo. Citatiori porro reddito sanguinis circuitu, laxatisve corporis solidis, magnum, per continuum fluidarum partium attritum, seri sulphureo acris generatam copiam, per cutis laxatae spiracula eliminari, eoque ipso, sanguinem, fluidiori parte orbatum, reddi spissiorem, vel eorum constat exemplo, quos sors aduersa, magno sub sudore, adflictam coegit tolerare vitam. Refrigerato, econtra, externo corpora ambiente aëre, aucta hinc eius grauitate, & elasticitate, dissipatisque in aëra fluidorum partibus igneis, cum intestinum, tum progressiuum humorum motum imminui, vasa solidorum collabi, eoque ipso, non modo salutare transpirationis sufflaminari negotium, verum etiam, compulsum ad interiora, per externae cutis stricturam, sanguinem, ad stases disponi, quotidiana edocet experientia, Illustr. Præceptor ac Fautor colendissimus testatur HOFFMANNVS vid. eius *Med. rat. syst. Tom. I. p. 338.* His iam praemissis, & nobis tacentibus, quilibet facile perspiciet, quonam pacto, huic diurno exquisito aestui, nocturnum accedens frigus, exitiosam hanc cerebro inuehere valeat inflammationem.

§. XIII. Antequam porro, ad ipsam morbi progrediar delienationem, haud incommodum fore puto, quaedam de Hungariae regno, eiusque incolis Lectoris

ſubiicere oculis, quo diuerſa, cum in eo obſeruetur aëris temperies, a diuerſisque haec tellus incolatur hominibus, videre liceat, in qua nam regni parte, quibusue incolis, hoc familiare magis exiſtat malum. Eam terrae Pannonicae partem ingreſſi, quae cisdanubiana, aut Hungaria, apud Geographos audit ſuperior, temperatiorem in ea, exceptis quibusdam locis, imo ad Carpaticos propius accedentes montes, perpetuo ferme, frigidam, coeli experimur auram. Quod incolas terrae concernit, inhabitant hanc, non modo genuini Hungari, verum etiam, plurimi Germani, ac ſic dicti Slaui, qui poſteriores, prae ceteris, longiori corporis proceritate donati, corpore robuſto praediti, cibis durioribus adſueti, facilius tempeſtatis iniurias ferre, longioremque vitae terminum attingere, obſeruantur. Quodſi autem, traiecto danubii flumine, inferiorem permeemus Hungariam, non modo intenſiorem, de die, ſolis aeſtum, nocturnumque tolerare cogimur frigus, complura paludoſa offendimus ſtagna; verum etiam, tales, in ea degentes reperimus homines, qui corpore quadrato, capiteque incedentes raſo, temperamento gaudent ſanguineo-cholerico, faciem referunt brunam, iudicio pollent acuto, vinaque hauriunt largius, nec facile, illatam, ad iram quippe proniſſimi, inultam ſinunt iniuriam, genuinamque antiquorum Hunnorum ſiſtunt poſteritatem. Vnde liquido conſtat, eos, qui poſteriorem hanc terrae incolunt partem, prae omnibus, vti ceteris, Hungariae propriis morbis, ita etiam huic idiopathicae, magis obnoxios eſſe phrenitidi.

§. XIV. Sed breuiter, haec commemoraſſe ſufficiat, accedo iam, ad ipſa, quae partim morbum anticipant, partim concomitantur, recenſenda ſymptomata: ad illa,

quae

quae imminentem morbi inuasionem praenunciare, & futuri velut periculi monere ſolent, ſymptomata, refero, continuas vigilias, dolores in occipitis praecipue regione, ſuam deffigentes ſedem, inconcinnas aegrorum ad quaeſita reſponſiones, aeſtum, leuiori aut plane nulla ſiti ſtipatum; facies inſuper turget, ruboreque ſuffunditur, pectus prehendit tenſio, pulſus paruus, duriorque micat, eorum, quae ante dicta aut facta ſunt, facile obliuiſcuntur aegri, oculi copioſiores plorant lacrymas, vrina parcior, eaque redditur limpida, pedes horridula occupat ſenſatio, aluus aduertitur ſtricta; quae ſingula, factae maioris ad caput congeſtionis, manifeſtiſſima ſunt indicia. Occupante namque partes inferiores ſpasmo, quem pedum frigus, aluus conſtricta, vrina parcior, eaque aquoſa indicat, ſanguinem, ad ſuperiores, easue molliores compelli partes, lex docet corporis microcosmica. Quod cum in capite hic contingat, maiorque ſanguinis copia, per arterias carotides, ad caput defferatur, quam per iugulares venas, ob inferiorum partium ſtricturam, e capite euehi poſſit; haud mirum eſſe poteſt, cur animales turbentur actiones, vaſa faciei turgeant, vigiliae, ſomnique aegros infeſtent turbulenti, cur denique occiput exquiſitior adfligat dolor, oculique largiores profundant lacrymas. Accumulato enim, ſtagnanteque, in cerebri vaſis, atque ſinubus, ſanguine, non poſſunt non, partes hae molliores, ſupra ſuum naturalem, extendi elaterem, eoque ipſo, non modo grauis, occipiti, in quo ampli laterales, durae matris hoſpitantur ſinus, induci dolor, verum etiam, cum diſtenſis vaſorum parietibus, hiantia in illa, lateralium vaſorum oſcula, ſimul dilatentur, vberiorem ſub-

tiliorum humorum fieri fecretionem, hincque largiorem fubfequi lacrymarum effufionem, necesse eft.

§. XV. Inualefcente per momenta malo, ipfi tandem fanguinis globuli, in dilatatos praedictos laterales, migrare coguntur poros, quo perniciofa illa cerebri producitur inflammatio. Quam extemplo acuta, delirio, ftridore dentium, pulfuque celeri & duro ftipata, preffo pede, excipit febris. Hac correpti aegri, fixioribus, fulgidis, attentisue adftantes intuentur oculis, commouent caput, iectigant artus, quosdam ferre recufant, e lecto furgere conantur, venantur floccos: delirium, mox mentis follicitudine, mox hilaritate, mox immani prodit furore, artus occupat horror, praecordiorum adeft tenfio, vrinae minguntur tenues, eaeque ob generatam, per auctiorem fanguinis motum, fulphureo-falinarum partium copiam, rutilantes, vafa faciei confpiciuntur tumidula, pulfus arteriarum temporalium fortius celeriusque vndulat, cor frequentius palpitat, aeftus vrget, nec quieto vllum, concedit locum fomno.

§. XVI. Tali fub fchemate, noftrum incedere adfectum, fequens iam, in ipfa Hungaria a me obferuatus, quem, cum illuftrandae, tum corroborandae magis veritatis gratia, adducere lubet, optime edocebit cafus: Operarius quidam, quadragenario maior, habitus corporis ftrictioris, potus vini adufti, vt focii eius referebant, amans, capite, pro more gentis illius, incedens rafo, integrum, fub exquifitiffimo folis aeftu, gramina falcando, confumfit diem, finita vefperi opera, ad quam mercede conductus erat, viliori fruitur coena, qua peracta, aceruum confcendit e feno conftructum, laffitudine confecto corpori conciliaturus quietem, in hunc proftratus

quae-

quaesito mox obruitur somno, & vestimentis minus rite munitus, noctis gelidae perfert iniurias. Proximo mane diluculo, e somno excitatus, ad suetos vocatur labores, sed ob vires fractas, doloresque capitis, quos insignes se pati aiebat, ineptus ad operandum, a ceteris deprehensus, ad sui heri deducitur aedes: hic cubili deffixus, de atroci porro occipitis, cum volatico aestu coniuncto, conqueritur dolore; adstantes, aegrum saepius manantes oculos detergere, faciem inflatam ruboreque suffusam referre, inconcinnos sermones proferre, dicti ante prolati, obliuisci, extrema insuper algere, obseruant: Perdurante eadem symptomatum atrocia, integram sequentem, insomnem ducit noctem, dieque proxime sequenti, vehemens, cum febri acuta, accedit delirium, omnibus praedictis grauioribus, stipatum symptomatibus. Accitus eo tum Chirurgus, venam quidem extemplo, pertundit pedis, liberalioremque e tusa vena emittit sanguinis quantitatem, cuius portio in patera collecta, glutinoso pinguem gestit superficie cuticulam. Subiungit huic, varia quae debellando morbo, apta nouerat, remedia, sed omnia incassum; funestus namque effrenis mali euentus, omnem Chirurgi elusit expectationem; tertio quippe morbi die, grauioribus praegressis conuulsionibus, membrorum tremoribus, tristem tandem, mors subsequens absoluit tragoediam.

§. XVII. Haec cum ita sint, nemo iam erit, qui veteres, phreniticum, cum maniaco confundentes, delirium, magni non redarguat erroris. Licet enim, illud nonnunquam in maniacum degeneret, hocque pulsu pariter p. n., somnoque coniunctum sit turbulento, licet ipsae etiam phreniticorum actiones, maniacorum peruersis

uerſis interdum conformes, exiſtant moliminibus; nilo-minus tamen, cum in phrenitide febris adſit acuta, eaque typica, notabilis memoriae labes, nulla furoris plenaria intermiſſio: maniacum e contra, delirium, per interualla adgrediatur homines, hique, tacente malo, ante actorum ſint conſcii, ipſeue maniacorum furor, vt plurimum, cum faſtu ſit coniunctus; magnam inter hoc, & phreniticum delirium, intercedere differentiam, omnes, vno ore, aeui noſtri, adfirmant Medici.

§. XVIII. Poſtquam grauioris, mali ſingula ſymptomata, quibus id ſe prodit, ipſumque, quod inter hoc & maniacum intercedit, detexi diſcrimen, deuenio tandem, ordine ſic exigente, ad illa exponenda ſigna, e quibus, cum ſalutarem, tum funeſtum morbi, hariolari licet euentum. Graues quidem, & periculoſos, omnes meningum morbos, p. n. & phrenitidem eſſe, peritiſſimi in arte ſalutari, teſtati ſunt viri, vti videre licet apud GALEN. *Lib. IV. ſſ. 35.* FOREST. *L. X. obſ. 21.* aſt, cum quosdam, tamen, periculum effugiſſe ſciamus, haud inanem laborem me acturum puto, ſi & illa, quae futuram praeſagiunt ſalutem, euoluerim ſigna.

§. XIX. Inter boni ominis ſigna, primum locum ſibi vindicat, criticis diebus, occurrens narium haemorrhagia. Depleta namque huius beneficio, cerebri vaſa, vi ſua, qua pollent elaſtica, in priſtinum reſtituuntur ſtatum, quo facto, non modo inflammatoriae ſtaſeos prohibent augmentum, verum etiam ipſam, intercepti, in iis ſanguinis diſcuſſionem, per continuum ſanguinis adpulſum, a natura tentatam, mirum in modum ſecundant, atque promouent. Nec parum futurae ſalutis ſupereſt ſpei, ſi praedictis diebus, corpus perfundat ſudor, conf.

aph.

aph. HIPPOCR. *Lib. IV. aph. XXXVI.* B. STAHL. *obſ. p. 66.* lotium, reddatur coctum, ſedimentumque deponens, nec tanta amplius ſymptomatum adſit vehementia, ſtrictaeque alui ſubſequatur ſolutio. Elicitus namque ſudor, non modo de aequabili, ad ſanitatem ſumme neceſſario ſanguinis circuitu, luculentum perhibet teſtimonium; verum etiam noxias ſimul e corpore educit partes. Lotium vero craſſius, faecumque accedens excluſio, non ſolum remiſſionem, inferiora occupantis ſpaſmi denotant, ſed etiam cauſam morbi alens, atque ſuſtentans, ſubtrahunt pabulum: De tali alui ſolutione, in morbis capitis occurrente, ſequentia, commemoratu digna, reliquit verba, BAGLIVVS *Tr. de fibr. motr. p. 257.* ita inquiens: in morbis capitis bonus eſt alui fluxus, ratione ſigni & cauſae; cauſae nempe; quia educitur portio morboſae materiei, ratione ſigni, indicat enim laxari iam, molleſcere & elongari ſolida interna tenſa, criſpata & conuulſa, liberumque praeberi tranſitum fluidis filtrandis.

§. XX. Male e contra decurrit morbus, ſi nullum horum diebus criticis, prodeat ſignum, vrina adpareat aquoſa, de qua ſuo iam tempore HIPPOCR. *L. aph. IV. aph. LXXII.* ita ait: quibus pellucidae & albae ſunt vrinae, malae; praecipue vero in phreniticis adparent. Idem augurari licet, ſi malum maiores, per momenta, ſumat vires, roburque aegri ſit collapſum, abbreuiata & nimis laborioſa perduret reſpiratio, conf. D. D. PRAESIDIS, Praeceptoris ac Patroni ſumme venerandi *Pathol. C. XV. p. 209.* & *Semiolog. Sect. II. cap. 3.* Deploratum porro, praedicamus cum HIPPOCRATE aegri ſtatum, vbi truculentae adſociantur conuulſiones, tendinumque cum ſudore gelido, accedunt ſubſultus, vid. HIPPOCR. *aph. L. IV. aph. L. VI.* indicant enim

 vel

vel praesentem iam, adfectarum partium gangraenam, vel imminentem praenunciant apoplexiam, quam momentaneam excipere mortem, neminem artis salutaris peritum, dubitare credimus. Nec melioris euentus nota existit profundior, quo aegri sepeliuntur, somnus, hic namque, cum praesentem supponat affectarum partium suppurationem; excitati, haud melius habent aegri, sed tremulam ore protendentes linguam, aeque, vt antea, continuo delirant, donec tali sub somno, lucis ad instar extinguantur. Ita somnum comatosum in febre acuta perniciosum esse, RIVERIVS *Instit. Med. Lib. III. sect. III. Cap. II.* sequentibus indicat verbis: quando huiusmodi coma diuturnis vigiliis succedit, magis perniciosum est, significat enim omnimodam caloris natiui extinctionem. Sic quando phrenitici comatosi euadunt, iam morti sunt proximi.

§. XXI. Enucleata satis, vt opinor, dilucide mali indole, expositoque eius tum secundo, tum sinistro euentu, extremo disquirendum iam venit loco, qua ratione, partim aegris, hoc periculi pleno malo decumbentibus, succurrere, partim vero, corpus ab hoc defendere, praesentemque valetudinem sartam conseruare, rationalis queat Medicus. Quodsi ergo contingat, vt intempestiue, eoque primum tempore, quo morbus, altas iam egit radices, aut signa iam futuram praenunciantia mortem sunt praesto, aduocetur Medicus, caueat hic, antequam circumspectum de periculo instante, tulit iudicium, medicas operi admouere manus: Sic enim & medicina, & ipse omnem & maleuolorum contemtum, & imperiti vulgi, suspicionis euitabit notam. Maturius e contra, accitus Medicus, ante omnia, eo, vt respiciat, oportet, quo aeger loco collocetur temperato, imprimisque aegri pedes, plumis, aut calidis vesti-

veſtimentis muniti, ab omni frigidioris aëris acceſſu, rite defendantur; fotu quippe tali, humores ad inferiora invitari, longa Medicos edocuit aetas. Nec inutile porro erit, aegro ſitum corporis procurare erectum, modo nil, quod ad fouendum, imprimis pedes pertinet, intermittatur. Tali namque ſub ſitu, ſanguis, per arterias carotides ad caput vergens, patitur remoram, venoſique e capite redeuntis ſanguinis, facilitatur progreſſus, vnde ipſi aegri, inſigne ſe percipere leuamen profitentur.

§. XXII. His omnibus diligenter amandatis, probeque procuratis, id iam Medici poſtulat officium, vt, de conuenientibus, maloque debellando idoneis, omni ſedulitate cogitet remediis. Hoc moliturus, eo, vt omnem impendat laborem, quo proximam mali tollat cauſam, neceſſe eſt. Hanc cum, vt infra indicauimus, nimia ſanguinis, ad caput propulſio, indeque in partibus cerebri prognata, conſtituat inflammatio, eamque ipſa ſoepius natura, largiori ſanguinis, per nares effuſione ſufferre ſoleat, eo, omnis Medici naturae miniſtri, in curando morbo, collimare debet intentio, vt ſanguinis ad cerebrum congeſtam copiam, ad remotas corporis inuitet partes, ſubortamque inde ſanguinis, in minimis partium adfectarum vaſis, ſtaſin, congruis reſoluat medicamentis; quo ſublata, fibrillarum cerebri compreſſione, deopilatisque antea obſtructis vaſculis, ſanguis, aequali flumine, per totum corpus diſtribui, liberoque curſu, omnium partium permeare queat vaſcula.

§. XXIII. Priori ſcopo obtinendo, commodiſſima, ſuffragante ipſa experientia, largior exiſtit Venaeſectio, mox principio mali in pede inſtituenda. Vel ut namque, omnibus in inflammationibus internis, intempeſtiue

adhibita, cum suppurationem potius, quam desideratam promoueat discussionem, funesta magis, quam vtilis, obseruatur; ita & in phrenitide, tempore, quo morbus suum iam consecutus est vigorem, inflammatio magnum cepit augmentum, administrata, non potest non, summam aegris conciliare noxam. Aucta enim inflammatoria stasis, maiorem quoque, fortioremue postulat, ad discutiendum, sanguinis adpulsum. Hunc cum intempestiua, infringat, atque turbet, V. S. haud obscurum esse potest, quomodo noxia, talis euadat sanguinis missio. In pede vero, eamque largiorem ideo instituere iubemus, vt exinanitis partium inferiorum vasis, sanguis, non solum, ad has partes inuitetur, verum etiam, vt, copiosius educto sanguine, liberiora a sanguinis mole reddita vasa, naturalem magis sortiantur systolen, cuius ope, contracti vasorum parietes, potentius, in portionem sanguinis interceptam, agere, eandemque promtius queant resoluere. Hinc pro re nata, plenitudineque vasorum sic exigente, iterum atque iterum eandem reiterare suademus, aut cum propinquiorem saepius, vrgens malum, desideret sanguinis deriuationem, atque ventilationem; haud inconueniens erit, praeuia V. S. in pede, post aliquot horarum interuallum, vnam externarum iugularium pertundere venam, quae antequam incidatur, collum prius, linteo leniter constringere, sectaque vena, linteum detrahere oportet, sic enim sanguis, absque ligatura, sponte manabit conf. SCHENCK. *obs. L. I p. m. 64.* Hanc si quis reformidet VSnem, proderit, cum praedictae venae, complures per externas colli partes distribuant ramos, iuxta aures, aut in hominibus, qui haemorrhoidalem antea experti sunt fluxum, ano, admouere sanguisugas, vel ipsam acuto instrumento, narium

pro-

prouocare haemorrhagiam. Hanc ob cauſam antiquioris imprimis aeui Medici, frontales, ſecabant arterias, vel ſi id aegri prohibuit moroſitas, fronti admouebant hirudines, conf. RIVER. *obſ. X. p. 578.* B. porro STAHLIVS raninas, ſi hae turgeant, praeuia V. S. reuulſoria, aperire ſuadebat venas, vid. *obſ. eius de Phrenit. p. 67.* His antiquorum Medicorum ſanguinis ventilationibus, haud quidem leuem, nos adſcribimus efficaciam, cum tamen, pauci reperiantur aegri, qui hoc inuſitato & aetate noſtra iam fere obſoleto, obſecundent remedio, ſaepius vanus, cum aegrorum, tum adſtantium, idem in vſum vocare nos vetat timor. Vltimo tandem id circa V. S. in pede inſtituendam, adhuc notandum venit, vt, antequam, haec occipiatur, pedes, qui tum rigere ſolent, calidis prius fricentur linteis, aut plane, tepidis foueantur pediluuiis, quo copioſiores ad has partes, alliciantur humores, laxatisue fibris rigidis, largior e tuſa vena euocari queat ſanguinis quantitas.

§. XXIV. In reuellendis ad inferiora porro humoribus, haud exiguam promittunt efficaciam, leniora *καθάρτικα*, nec non emollientia & cum puluere ſquillae aut elect. de hier. picr. acuata cliſmata. Velut namque, ipſam naturam, per diarrhoeam ſoluere morbum, infra notauimus; ita, cum ſimilia medicamina, principio, quo gaudent ſimul mucilaginoſo, inteſtina lubricent, feces duras emolliant, blandeque per inteſtinorum canalem educant, virtute ſimul membranas inteſtinorum vellicante, ſegnem & pene ceſſantem periſtalticum eorum excitent motum, fieri nequit, quin, maior ad has partes humorum efficiatur decubitus, morbusue ipſe, ſi non penitus tollatur, ſaltem magnum ſui capiat decrementum. Nec deſunt

porro, qui humores, reuellendi ſcopo, emplaſtra commendant veſicatoria; verum enim vero, cum longae experientiae viri, pro minus ſecuris, haec, venditent remediis, melioraque, ac tutiora ſuppetant, conſultius eſſe, his abſtinere puto, vlteriorique talia potius, committimus experientiae, mitiora horum loco ſurrogantes, ſic dicta rubefacientia: qualia ſunt acetum, fermentum panis &c. pedum plantis admouenda.

§. XXV. Traditis iis, quae primam abſoluunt indicationem remediis, videamus iam illa, quae poſteriori ſatisfacere pollicentur intentioni. Remedia, quae ex pharmaceutico fonte huic ſcopo idonea, haurire licet, ſunt partim externa, partim interna, remote magis diſcutientem, quem ab iis expectamus, praeſtantia effectum. Ex illis talia eligimus, quae raſo admota capiti, virtute ſua tonica, blandam pericranio, & cum hoc communicanti miningi durae ſtricturam inducendo, tremulum, & oſcillatorium eius adaugent motum, ope cuius, ſanguis, in vaſis eius motu orbatus, propelli, vaſaque hoc onerata, libera & patula reddi queant: Tali virtute pollent, praeter ſic dicta neruina, nitr., acet, camph. ipſaque frigida, e quibus apta Medicus concinnare poteſt epithemata.

§. XXVI. Interno vſui vero illa commoda eſſe exiſtimo, quae orgasmum humorum mitigando, ſtricturas ſolidarum partium demulcendo, aequabilem ſanguini reddunt circuitum: qualia cum diaetetica, tum pharmaceutica ſuppellectilis nobis exhibet vberrima, ad illa, pertinent potus tenues ſimul acidulati: vt Dct. C.C. citr. hord. clyſſo antim. maritatum, ſerum lact. acid. aut ſequens, blande aluum ſimul ducens potio: Rec. aqu. font. menſ. vnam, Tamarind. vnc. vnam coqu. filtr. Colat. add. nitr. dep. drachm.

drachm. dimid. roob. ribeſ. drachm. binas. M.D. pro potu ordinar. Ex his autem, omnibus palmam praeripiunt aquae, ſic dictae diapnoicae, e quibus, accedentibus, nitr. antim. diaph. puluere abſorb. citr. ſaluberrimas parare licet potiones.

§. XXVII. Vti vero omnibus in acutis, Medicamenta, humores exaeſtuantia, & narcotica, ſiniſtros edunt effectus, ita & in hac phrenitica febri, cane & angue magis eſſe fugienda, ſerio moneo, vtraque enim, cum humores, magnum in modum expandant, ſolidorum tonum proſternant, non poſſunt non, aegros in ſummum vitae praecipites agere diſcrimen.

§. XXVIII. Sed ſufficiat haec de morbi ediſſeruiſſe medela; ſuper eſt, vt, per paucis adhuc noſtrum, quo pacto Pannoniae incolae, a tam periculoſo morbo, corpora defendere debeant, aperiam conſilium: Cuicunque ergo Pannoniae fructuum vbertate luxuriantes fortuna conceſſit incolere agros, illum oportet, niſi, in ſe ipſum iniurius eſſe, tamque diro corpus exponere velit malo, ante omnia, cum potu imprimis ſpirituoſo, tum cibis, non ad voluptatem, ſed ad vitam vti, corpus coelo ſereno, blande mouere, omnes e contra vehementes, tam corporis, quam animi motus, imprimis vero funeſtas tempeſtatis iniurias atque viciſſitudines, ſedulo euitare. Et cum magnum ſanitatis in ſanguinis, & naturali, & artificiali fluxu, collocatum ſit momentum, tantum abeſt, vt, huius negligendi ſimus auctores, vt potius illum caſu cohibitum, reuocare, hunc neglectum inſtaurare, magnopere inculcemus; verbo, eo, totis viribus annitendum eſt regni huius incolis, quo ſalutares corporis ſe- & excretiones, maneant integrae, liberaque imprimis, ſeri illius halituoſi conſeruetur perſpiratio.

T A N T V M.

PRÆ-

PRÆCLARE DOCTO ET NOBILISSIMO
DOMINO CANDIDATO
S. P. D.
PRÆSES.

Ammonius Philosophus filius Hermiæ dixit: *ἰατρὸς ὁ ἄριστα γνοὺς ἄριστα θεραπεύει*: solida enim atque certa cognitio rerum, quæ fiunt, tantoque magis veritatem in quocunque foro fulcit & promovet; facilior enim via atque transitus a veritate facti ad veritatem causæ datur, modo curiosæ opiniones, fallaces suppositiones & ingeniosæ fictiones evitentur. In Medico foro multum sane juvat fides & integritas historica; quare jure meritoque CONRINGIUS *in præfat. ad Salmuthi observat.* dolet & exclamat: *neque aliud quicquam temere Scientiæ pathologicæ profectum æque hactenus impedivit, me judice atque Historiæ morborum sive ignorantia, sive contemptus.* Quantumcunque autem referat atque conferat quoad hanc Historiam certitudinem firmam possidere, nihilo tamen secius inventiones causarum inadæquatarum & incongruarum totam reliquam utilitatem practicam destruere & invertere possunt: quanta enim in Historiæ medicæ redintegratione & sincera dispositione judiciosa solertia promittit commoda, & adjumenta, tanta perinde speculativa & imaginaria causarum compilatio parit offendicula atque detrimenta. Inter alias utiles occupationes merito illa æstimanda est, quæ morbos Endemios, Epidemios, & pro varietate climatis, regionis, mutationis athmosphæricæ, ventorum, vicinitatum, vitæ generis, popularium consuetudinum, morum, negotiorum, ingestorum &c. discrepantes curatius describit. Hoc in laudabili instituto tu PRÆSTANTISSIME DN. CANDIDATE haud infimum obtines locum, qui præsenti Inaugurali Tuo Specimine proprio eruditionis Tuæ conatu, nervo atque studio morbum quendam, nonnullis Hungariæ tractibus familiarem, felici successu explicasti: Symbolum utique hoc est egregiorum Tuorum in re medica studiorum atque commendabilis Scientiæ: ab eo enim tempore, quo in alma hac Fridericiana Musarum inclyta Palæstra Medico studio operam dedisti, bona industria, & eleganti Modestiæ charactere passim Te commendasti, proinde cum honores Doctorales honeste atque reverenter ambires, in examine solito Collegio nostro approbatione dignos edidisti profectus; quare intuitu reliquæ Tuæ sortis extraordinaria benevolentia ab eodem dignatus fuisti. Bonis itaque votis Te manumittimus, ac propenso affectu Tibi a Summo rerum humanarum Directore equidem optimos ingenuorum Tuorum progressus atque eventus apprecor, ut de cœlesti hoc moderamine & benedictionis affluentia indies hostiam gratitudinis ardentibus precibus & sanctitate vitæ cœlum versus offeras: ita habebis de quo semper gaudere poteris. Faxit DEUS ut hæc omnia feliciter cedant & succedant. Dab. Halæ Magdeb. IV. Nonar. Novembr. A. O. R. cIↃIↃCCXXXIX.

  